

astrum urfæ maj. Plaustro simile lento ac bovino gradu circa polum circumducentibus, alter Antarcticus & meridionalis, ex quo umbra meridiana projicitur in oppositam plagam. Nemo autem, ait Ricciol. in Almag. videt ex terræ superficie utrumque simul polum nisi supra illam elevetur & sit in ipso Æquatore, plerique autem unicum polum vident juxta illud Virg. lib. 1. Georg.

Hic vertex nobis semper sublimis, at illum

Sub pedibus styx atra videt manesq; profundi.

Quot gradibus autem ab Æquatore receditur, tot etiam gradibus alter polus elevatur, deprimitur alter, nec fieri potest aliter cum per 180. 0. seu semicirculum distent. Cæterum qualis sit ista polorum quies definiri quodammodo potest, quod sit mathematica non physica, quemadmodum ipsi poli & axis per illos ductus puncta sint & linea mathematica, in nullos incurrentia sensus. Atque dicendum cum subtilis. Scaligero Ex. 70. p. 246. ibi nihil esse immobile: sed moveri circa punctum eo modo, quo motus incipit à puncto. De quibus tamen Physicus.

§. 8. Altitudo poli quomodo haberi queat, docet cum aliis Mathematicis Ricciol. Tom. 1. alm. c. 12. capiendam nempe esse utramque altitudinem meridianam stellæ polo proximæ, cujusmodi nobis est ultima in cauda urfæ minoris, hoc quidem seculo. Id verò in noctibus sub finem Decemb. & Januarii sine crepusculorum impedimento adhibito legitime quadrante commodè potest expediri, addendo semissem differentię altitudini minori. Hęc poli altitudine, quæ alias cum latitudine loci coincidit, cognitâ, statim innotescit elevatio Æquatoris, est enim hęc æqualis complemento altitudinis poli, ad Zenith, seu residuo ad 90. 0. Ut si 51. 0. 52. /. (latitudo videlicet Wittebergæ) auferantur ex 90. 0. remanebit altitudo Æquatoris 38. 0. 8. /. quot nempe arcibus Meridiani inter Æquatorem & horizontem sunt intercepti. Secundus modus quem tradit ibidem Ricciolus per observatam beneficio instrumentorum Solis altitudinem meridianam, operosior est; tertius verò per eandem altitudinem umbrâ gnomonis indagatam incertior quoque.

§ 9. So-